

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 5. Joannes Castellus examinatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](#)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1594

dentem allisus haud ultra penetrans ob-  
torpuit: mox autem, cum Rex se vul-  
neratum esse exclamaret, Sicarius e  
cubili auffugere tentat, cum vero fores  
essent occlusæ, in Suesionensis Comitis  
manus incidit, ubi prius cultrum, quo  
Regem percussit, fugam arripiens in  
terram projiciebat.

Erat hic Sicarius novemdecim an-  
norum Juvenis nomine Joannes Castel-  
lus Parisiis locupletis mercatoris Filius,  
tætræ indolis, ac vita omni vitiorum ge-  
nere inquinata semper infamis, qui sibi  
persuasum habebat, quod Rex Ecclesia  
re ipsa reconciliatus non esset, insuper  
cum eum tyrannum esse sentiret, si illum  
trucidaret, ingens Deo obsequium se  
præstituturum existimabat: ceterum  
abs dubio irruente turba mox debitas  
sceleris sui pœnas dedisset, nisi Rex illo-  
rum, qui eo inspectante hunc Parricidum  
in frusta discerpere parabant, intempe-  
stivum servorem cohibuisset, præcipiens  
ut supremo Palatii Præfecto traderet;  
qui eum etiam ad carceres conduxit.

§. V.

*Joannes Castellus examinatus.*  
Paulo post primo coram Parisensi Prä-  
tore, ac postea in Senatu de suo  
crimine interrogatur, ubi semper idem  
dederat responsum, fassus, quod jam a  
longo tempore Regem trucidandi occa-  
sionem

sionem quæsiisset, hancque actionem Sæcul. XVI.  
tantopere ad Religionis Catholicæ, Apo-  
stolicæ, Romanæ incrementum condu-  
cere etiamnum existimaret, ut fallente  
nunc iētu, adhucdum Regem occidere  
tentaret, si occasio sese offerret: de ce-  
tero autem cultrum, quo usus fuisset,  
nequaquam veneno illitum fatebatur,  
sed illum pro quotidiano ad mensam  
usu e Patris sui domo attulisse affirma-  
bat: postquam vero interrogatus fue-  
rat, an, & in quonam Collegio literis  
vacasset, respondit, quod in Collegio  
Parisiensi apud Patres Jesuitas sub Pa-  
tris Guereti magisterio per triennium,  
& nuper in Universitate jurispruden-  
tiæ Scholam frequentarit, ac feria sexta  
pridie, quam hoc facinus perpetraffset,  
præfatum Patrem visum venisset, eo  
duntaxat fine, ut circa quædam crimi-  
na legi naturæ adversantia, ac a se per-  
petrata conscientiæ suæ scrupulos de-  
ponere, atque ab eodem confilium, so-  
latiumque percipere posset, quamvis  
nullius ex oonsilio, sed proprio suo in-  
stinctu sibi persuasum habuerit, quod  
Regem interficiendo sua peccata ex-  
piare, aut saltem promeritam pœnæ  
æternæ gravitatem imminuere valeret:  
quinimo etiam gravissimis tormentis ex-  
cruciatus usque ad ultimum vitæ hali-  
tum constanter asseverabat, quod nec

Pater

Ff 4

Sæcul. XVI. Pater Gueretus, nec alias quicunque  
A.C. 1594. Jesuita ullo pacto hujus criminis parti-  
 ceps esset.

## §. VI.

*Seditiosa scripta in Patris Guinardi  
 cubiculo reperta.*

*Thu. l. III.  
 Avila l. 14.*

Insuperhabita hujus rei declaratione  
 Senatus quatuor deputabat Consiliarios, qui ad Jesuitarum Collegium  
 delati, abdita scrutabantur, ac lustratis  
 pluribus cubiculis in cubili Patris Joannis  
 Guinardi, qui patria erat Carnutensis, inter alia scripta reperiebatur charta,  
 quam ipsus anno millesimo quingentesimo  
 octogesimo nono eo tempore, quo  
 Henricus II. occisus fuerat, scripsisset;  
 præter hanc vero chartam quidam etiam  
 inveniebantur libelli partim typis  
 impressi, partim scripti, ac contumeliosi tam in Regem defunctum, quam  
 illum tunc regnante: porro hisce libellis,  
 quos indiscreta curiositas asser-  
 vabat, omnes postea exorti tumultus  
 sua debent incunabula.

## §. VII.

*Castellus præsente Patre Guereto interrogatus, ejusque Parentes  
 comprehensi.*

*Thu. l. III.* Altera die congregata utraque Curia  
 Pater Gueretus producitur, ac pro more